



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

17. Alæ virgines morbis deformatæ, ne virginitatis jacturam paterentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

barba monstruositatis. Quare etiam in hunc numerum apponenda est Romana illa vidua, de qua D. Gregorius ita scribit: Gothorum temporibus Galla huius urbis nobilissima puella Symmachi Consulis ac Parricij filia, intra adolescentia temporibus marito tradita, in unius anni spatio, eius est morte viduata, quam dum feruente Mundi copia ad iterandum thalamum et opes, et atas vocaret, elegit magis spiritualibus nuptiis copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, sed ad aeterna gaudia peruenitur, quam carnalibus nuptiis subijci, quae à latitia semper incipiunt, et ad sine cum luctu tendunt. Huic verò cum valde ignea corporis conspersio inesset, coeperunt medici dicere: quia nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbam esset habitura. Quod ita quoque post factum est. Sed sancta mulier nihil exterius deformitatis timuit, quae interius sponsi caelestis speciem amavit: nec verita est, si hoc in illa sceleretur, quod à caelesti sponso in ea non amaretur. Mox ergo ut eius maritus defunctus est, abiecto saeculari habitu, ad omnipotentis Dei seruitium se se apud B. Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis atque orationi dedita larga indigentibus elemosynarum opera impendit. Cumque omnipotens Deus perennem iam mercedem reddere eius laboribus decreuisset, canceri ulcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum eius duo candelabra lucere consueuerant, quia videlicet amica lucis non solum spirituales, sed et corporales tenebras odio habebat. Qua dum nocte quadam ex hac eadem iaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum Apostolum inter utraque candelabra ante suum lectum constituisse. Nec perterita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultauit, ei que dixit: quid est domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea? cui ille benignissimi, ut est, vultus, inclinato capite annuit, dicens: dimissa, Veni. Ita igitur ad caelestia regna viam inuenit Galla, quae maluit esse barbata, quam maritata.

Capitis hucusque & mamillae defectus vtilis extitisse ostendimus, in alijs etiam totius corporis vitium morbusque virtuti profuit. Angadrisina virgo, in Gallia, Lothario regnante, fuit, quae cum à parentibus Ausberto Principi viro, qui postea Rothomagensis Ecclesiam exegit, inuita desponsaretur, multis cum

Kkkkk 2

lachrymis

S. Greg. lib. 4.
dialog. c. 13.
Vide de hac
ead. Fulgen-
tium in ep ad
Gallam.

XVII.

Sur. tom. 1.
in vita eius.